

Distinctio XXXVII

/Vb 401 vb; X 856a/ "Et quoniam demonstratum est", etc. Postquam Magister expedivit
 5 primam et secundam quaestiones incidentaliter introductas, hic expedit tertiam, scilicet
 quomodo Deus sit in rebus. Et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit Deum esse in rebus.
 Secundo vero ostendit quod ex hoc non sequitur quod moveatur aut mutetur in locis. Tertio
 quoque repetendo ea quae dicta sunt per auctoritates sanctorum dicta confirmat. Secunda ibi:
 "Cumque divina natura." Tertia ibi: "Fateamur itaque." Circa primum duo facit. Primo namque
 10 ponit duos modos quibus /Vb 402ra/ Deus dicitur esse in rebus. Secundo vero illos modos
 declarat et perquirat. Secunda ibi: "In sanctis vero." Dicit itaque primo quod quia declaratum est
 quomodo omnia dicuntur esse in Deo, ideo addendum videtur quibus modis dicatur Deus esse in
 rebus. Et dicendum quod dupliciter, quia in omnibus rebus per essentiam, praesentiam,
 potentiam, sed in sanctis spiritibus per gratiam. Et adducit auctoritates quattuor sanctorum
 15 Doctorum, videlicet Augustini, Ambrosii, Gregorii, Hilarii, et patent in littera.

Postmodum ibi: "In sanctis vero." Exequitur istos modos, et primo quomodo Deus est in
 sanctis per gratiam, secundo vero quomodo est ubique totus per essentiam. Secunda ibi: "Ex
 praedictis patet." Adhuc circa primum tria facit. Primo enim declarat quod ubi Deus est per
 gratiam, ibi dicitur habitare, et dicit quod in solis bonis et sanctis spiritibus habitat Deus, quia
 20 sunt templum et sedes eius. Sicut anima, quamvis sit in toto corpore, dicitur tamen specialiter
 habitare in corde, quia ibi perfectius operatur. Consimiliter ipse Deus, quamvis sit in omnibus
 rebus, in sanctis tamen ubi operatur per gratiam dicitur singulariter habitare, et ad hoc adducit
 duas auctoritates Augustini, et patent.

Secundo ibi: "Si autem quaeris." Movet Magister quaestionem ex quo dictum est quod Deus
 25 habet habitaculum et templum suum in sanctis, ubi ergo habitabat antequam essent sancti. Et
 respondet secundum Augustinum quod apud se habitabat. Non enim sunt sancti sic domus Dei
 ut cadat Deus ipsa substracta, sed potius sancti cadunt si discesserit ipse.

Tertio ibi: "Illud quoque." Addit Magister ad praedicta quiddam notabile, dicens quod non
 solus Deus inhabitator est sanctorum cognoscentium ipsum, immo quod mirabile est et illorum
 30 qui nondum cognoscunt eum, nam ad templum Dei pertinent /X 856b/ parvuli sanctificati
 sacramento baptismi.

Postmodum ibi: "Ex praedictis patet." Exsequitur Magister modum illum quo Deus est
 ubique totus per essentiam. Et circa hoc quattuor facit. Primo namque ostendit modum istum
 esse summe difficilem ad intelligendum, dicens secundum Chrisostomum quod quomodo
 35 ubique sit Deus intellectu non capimus, immo considerationis huius sublimitas atque
 immensitas omnino mentis humanae sensum excedit.

Secundo ibi: "Quidam tamen." Excludit errorem quorundam qui non valentes intelligere
 istum modum. Negaverunt quod Deus non dicitur ubique esse per essentiam sed per virtutem et
 operationem suam, quia ubique operari non cessat. Et dicit Magister quod credendum est in illis
 40 verbis sanctorum quibus utuntur dicendo Deum esse ubique per essentiam <et>¹ substantiam
 aliquid plus contineri quam isti dicant.

Tertio ibi: "Solet etiam ab eisdem." Inducit rationem istorum qui probant quod Deus
 substantialiter non insit omnibus rebus, quia corporalium sordium inquinacionibus videretur
 contingi. Et respondet Magister quod non, sicut nec radius solis, cum transit super loca
 45 immunda.

Quarto ibi: "Postremo." Adducit Magister rationem propositum confirmantem, dicens quod
 oportet eligere unum de tribus, videlicet quod divina essentia nusquam sit aut quod ubique sit
 aut quod alicubi sit et alicubi non sit. Sed non potest dari primum vel tertium, est igitur
 eligendum secundum.

Postmodum ibi: "Cumque divina." Declarat Magister quod Deus non est subiectum motus,
 50 quamvis ubique sit totus. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit quod motus non habet

¹ Bo; in Vb

locum in Deo. Secundo vero incidentaliter introducit quomodo creatus spiritus sit et moveatur in loco. Secunda ibi: "De mutatione vero loci." Circa primum duo facit. Primo enim ostendit quod Deus nec mutatur per loca nec etiam per tempora, dicens quod Deus non est ita localis aut temporalis quod circumscribatur /Vb 402rb/ loco aut faciat in loco distantiam, et per consequens nec movetur localiter. Omne tamen corpus et omnis creatus spiritus sic movetur.

Secundo ibi: "Mutari autem." Ostendit quid est dictum per tempora mutari, et dicit quod variari secundum qualitates interiores, utpote a gaudio in dolorem et a scientia in oblivionem. Haec autem locum non habent in Deo.

60 Postmodum ibi: "De mutatione vero." Magister ostendit quomodo creati spiritus sunt et moventur in loco et facit tria. Quia primo ponit opinionem quorundam, dicens quod aliqui voluerunt ab omni spiritu locum universaliter remove, quia dimensionibus carent, et hoc dicunt Augustinum sensisse.

Secundo ibi: "Sed ut supra." Magister tollit istam opinionem, dicens quod licet angeli non 65 sint in loco circumscriptive, /X 857a/ sunt tamen definitive, ac per hoc possunt de loco ad locum transire.

Tertio ibi: "Sunt ergo spiritus creati." Concludit Magister quae dicta sunt, dicens quod spiritus creati sunt in loco et transeunt de loco ad locum, non tamen omnino eo modo quo creaturae corporeae. Spiritus autem increatus, qui Deus est, licet ubique sit, est tamen 70 incircumscriptibilis et immensus.

Ultimo ibi: "Fateamur." Magister repetit ea quae dicta sunt et per auctoritates confirmat, et facit duo. Primo enim probat auctoritatibus Augustini et Scripturae sacrae quomodo Deus est ubique, nec tamen movetur. Secundo ibi: "Ad hoc autem solet opponi." Movet instantiam, dicens cum quotidie fiant creaturae quae ante non erant et incipiat de novo esse in eis iam 75 videretur Deus mutari, et respondet quod immo absque sui mutatione incipit esse in eis. Demum autem epilogat ea quae dicta sunt in praesenti distinctione et ostendit qua occasione fuit praesens materia introducta. Haec est sententia.

Utrum Deus sit ubique per essentiam, potentiam, et praesentiam.

80 Et quia Magister determinat in hoc loco quomodo Deus est in rebus, idcirco inquirendum occurrit utrum Deus sit ubique per essentiam, potentiam, et praesentiam.

Et videtur quod non, quia in modis essendi non est reciprocatio. Dicit enim Philosophus IV *Physicorum* quod si vinum est in amphora non potest poni reciproce quod amphora sit in vino. 85 Sed omnia sunt in Deo iuxta illud Apostoli Act. 17: "In illo vivimus, movemur, et sumus". Et Beda *Super Lucam* dicit quod angelus, ubicumque moveatur, intra Deum currit. Ergo dici non potest e contrario quod Deus sit in omnibus rebus.

Praeterea, opposita non possunt inesse eidem, sed Deus est extra omnia et supra omnia, secundum illud Psalmi: "Excelsus super omnes gentes Dominus". Et VII propositione *De* 90 *maximis Theologiae* dicitur quod Deus est sphaera cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam. Constat autem quod circumferentia Dei Deus est. Igitur Deus nusquam est, et per consequens non erit ubique.

Praeterea, ita abstrahit Deus a loco sicut a tempore. Sed declaratum est supra per Auctorem *De causis* quod Deus non est in tempore sed supra tempus. Ergo non erit in loco sed supra 95 locum.

Praeterea, Anselmus dicit *Monologii* 22 quod si usus loquendi admitteret convenientius diceretur quod Deus esse cum loco vel tempore quam in loco vel tempore; et subdit: "In nullo itaque loco vel tempore proprie dicitur Deus esse". Sed haec non essent vera, si Deus esset ubique. Ergo istud poni non potest.

100 Praeterea, quod non est alicubi non est ubique. Sed Augustinus dicit *LXXXIII quaestionum*, quaestione 20 quod Deus non alicubi est; in illo sunt potius omnia quam ipse alicubi sit. Et subdit quod Deus locus non est nec in loco est. Igitur id quod prius.

Praeterea, nullum praedicamentum est in Deo praeter substantiam et relationem, secundum Boethium /X 857b/ I *De Trinitate*. Sed esse ubique non praedicat substantiam nec relationem,

105 sed magis /Vb 402va/ de praedicamento ubi. Respondetur enim ad interrogationem factam per ubi quod est hic vel ibi vel forte ubique. Ergo esse ubique non praedicatur de Deo.

Praeterea, Deus est abstractior omni creatura. Sed aliquae sunt creaturae abstrahentes simpliciter a loco, utpote unitas vel nunc. Abstrahit enim unitas a positione et situ, ut patet I *Posteriorum*. Nunc etiam non est alicubi, nec ultra mare, nec citra, quia nullam habet
110 comparationem aut habitudinem ad situm. Ergo poni non potest quod Deus sit in loco et per consequens nec ubique.

Praeterea, non est ponendum in Deo quod induceret mutationem in eo, vel per se vel per accidens, quia XII *Metaphysicae* et VIII *Physicorum* dicitur quod in primo motore non cadit mutatio, nec per se nec per accidens. Sed si esset ubique, necessario consequeretur eum mutatio,
115 quia creato lapide inciperet esse in eo, et a non esse in lapide mutatus esset ad esse in lapide, cum non sit transitus a contradictorio in contradictorium sine mutatione facta in eo quod transit, vel per se vel saltem per accidens. Ergo dici non potest quod Deus sit ubique.

Praeterea, Deus est causa extrinseca rerum quia efficiens et finis. Non est enim materia vel forma quae sunt causae intra rem existentes. Sed constat quod Deus non est in rebus, nisi in
120 quantum causa earum. Ergo non potest dici quod sit proprie in omnibus rebus, cum sit causa extrinseca omnium rerum.

Praeterea, Damascenus libro I, capitulo 16 dicit quod Deus immaterialis existens in loco non est. Ipse enim sui ipsius locus est et super universa existens continet omnia. Sed haec vera non
125 essent, si Deus est alicubi vel ubique. Igitur id quod prius.

Quod Deus sit ubique per essentiam, praesentiam, et potentiam. Sed in oppositum videtur quod Deus sit ubique per illud Gregorii *Super Cantica canticorum* dicentis quod licet Deus communi modo omnibus rebus insit praesentia, potentia, substantia, tamen familiari modo dicitur esse per gratiam in sanctis. Et Augustinus ait in libro *De praesentia Dei* quod, cum Deus
130 sit natura incorporea, totus adest omnibus rebus et singulis totus. Et similiter Hilarius VIII *De Trinitate* quod Deus immensae virtutis est qui nusquam non assit nec desit usquam. Sed haec vera non essent nisi Deus esset ubique non solum per potentiam, immo per essentiam et praesentiam. Ergo est in omnibus rebus isto triplici modo.

Praeterea, illud quod est medium sufficiens ad probandum de aliquo quod sit Deus, vere
135 attribuendum est Deo. Sed Ambrosius in libro *De Spiritu Sancto*, capitulo 6 probat Spiritum Sanctum non esse creaturam, quia ubique est. Ergo esse ubique attribuendum est Deo.

Praeterea, omne quod sonat in quandam perfectionem et infinitatem poni debet in Deo. Sed immensitas per quam Deus in omnibus rebus sit videtur sonare in quandam perfectionem et infinitatem iuxta illud Jeremiae 23: "Caelum et terram ego impleo"; et illud Sapientiae 8:
140 "Attingit a fine usque ad finem fortiter". Ergo istud debet attribui Deo. /X 858a/

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur quid importat formaliter Deum esse ubique. Secundo vero an ex operatione qua Deus generaliter conservat et manutinet creaturas probari possit demonstrative quod sit
145 ubique. Tertio quoque inquiretur distinctio modorum essendi per essentiam, potentiam, praesentiam, et gratiam, qui communiter assignantur.

Articulus primus

150 **Opinio Thomae in Scripto primo et parte prima, quaestione 8, articulo 1 et 2.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dicere voluerunt ideo Deum esse in rebus, quia sua virtus et potentia actualiter attingit usque ad intima rei. Agens enim adest ei in quod agit, secundum quod VII *Physicorum* probatur quod /Vb 402vb/ movens et motum oportet esse
155 simul. Deus autem, cum sit ipsum esse, oportet quod esse cuiuslibet sit primus et proprius effectus eius. Esse autem est intimius omni rei <quocumque alio, et per consequens Deus est

intimus omni rei², cum esse rei causet et continue conservet. Ubi considerandum quod differenter agens corporeum attingit suum effectum ab agente incorporeo et abstracto. Agens namque corporeum, cum sit quantitatis terminus, circumscriptum non potest ibi esse, ubi est
 160 suus effectus, sed tantum est simul per contactum. Unde virtute sua immutat corpus quod immediate sibi coniungitur quod etiam immutatum immutare aliud potest usque ad terminum certum. Agens vero spirituale et abstractum a quantitate et situ non potest esse distinctum per locum vel situm ab eo quod movet, sed ubi est quod movetur, ibi est ipsum movens. Et propter hoc anima est in corpore et virtus movens caelum in dextera parte orbis secundum Philosophum
 165 VIII *Physicorum* et II *Caeli et mundi*. Sic igitur Deus, cum sit agens abstractissimum, in rebus erit per suam operationem, qua continue attingit usque ad intima rei esse illius operando et conservando. Et ita non est aliud Deum esse ubique formaliter quam operari ubique.

Opinio Scoti. Dixerunt vero alii quod operatio Dei quae attingit continue intima cuiuslibet creaturae non sufficienter probat quod Deus sit in omnibus rebus. Agens enim quanto perfectius,
 170 tanto magis potest agere in aliquod distans a forma per quam agit. Et patet de sole qui non mediante radio sed immediate per formam suam producit formas substantiales in materiis dispositis per calorem mediantibus radiis generatum. Licet enim alteratio fiat radio mediante, introductio tamen formae substantialis fit immediate a forma solis, alioquin effectus aequivocus
 175 esset /X 858b/ nobilior sua causa. Sed manifestum est quod Deus est agens perfectissimum. Poterit ergo agere distantem effectum, et ita non probatur quod Deus sit in rebus, quamvis conservando continue operetur in eis. Et si dicatur quod radius immediate inducit formam substantialem tamen in virtute solis, non valet quidem, quia vel virtus illa est accidens existens in radio, et tunc ratio manet quod nec radius nec illa virtus poterunt inducere formam
 180 substantialem quae nobilior est illis; vel virtus illa erit ipsamet forma solis, et tunc habetur intentum quod operatur ubi praesens non est.

Praeterea, quicquid perfectionis attribuitur soli, multo fortius debet Deo attribui. Sed attribuitur soli operari ubi non est, nec per se nec per aliquod medium. Dicimus enim quod homo et sol generant hominem, et tamen multi generantur sole in alio hemisphaerio existente.
 185 Similiter etiam in visceribus terrae generantur ferrum, et aurum, et alia mineralia ad quae radius solis non penetrat, nec etiam calor in superficie terrae ex reverberatione radii generatus; talis enim calor non penetrat usque in tantam distantiam in quanta reperiuntur mineralia. Igitur et Deus poterit operari ubi non est.

Praeterea, omnipotens suo velle causat quicquid vult. Sed ad hoc quod velit non oportet ipsum esse coniunctum illi quod vult. Ergo illud volitum erit causatum et productum absque hoc
 190 quod sit in eo omnipotens essentia, qualis est Deus.

Praeterea, prius potest separari a posteriori. Sed praesentialitas per operationem et potentiam prior est coniunctione sive praesentialitate essentiae divinae cum rebus. Quod patet, tum quia extra mundum potest Deus operari, et tamen extra mundum eius essentia non est; tum quia
 195 creatura oportet ordine naturae quod prior sit quam essentia divina sit sibi praesens. Non est autem creatura in illo priori nisi per operationem et actionem divinam, et per /Vb 403ra/ consequens actio praecedat praesentialitatem essentiae cum rebus. Igitur non oportet essentiam esse praesentem quia intimae operatur.

Praeterea, non est propter operationem attribuendum Deo id quod Philosophi negarunt. Sed Philosophi posuerunt duas intelligentias motrices cuiuslibet orbis. Et unam quidem posuerunt in determinata parte orbis, scilicet in oriente; alteram vero quae erat infinitae virtutis secundum eos, erat enim primum principium et Deus, non posuerunt in aliquo loco vel situ. Ergo non est verum quod agens vel movens sit de necessitate in moto.

Praeterea, impossibile est intelligere transitum de contradictorio in contradictorium nisi facta
 205 mutatione circa aliquid. Sed constat quod Deus intelligitur de non praesente fieri praesens creaturae quae de novo fit. Non est autem per mutationem factam in se, sed potius propter productionem creaturae. Ergo productio creaturae praeintelligitur praesentialitati essentiae

² Bo; om. Vb

divinae cum eadem creatura, et per consequens non est formalis ratio illius praesentialitatis. /X
859a/

210 Praeterea, illa propositio VII *Physicorum* quod movens et motum sunt simul intelligitur in corporibus quae coniunguntur per contactum qualitatum activarum et passivarum. Non enim oportet quod unum sit in alio per essentiam, quamvis per qualitates se contingant. Sed nos loquimur hic de praesentialitate per essentiam. Inquirimus enim quomodo Dei essentia est in rebus. Igitur auctoritas illa non est ad propositum, nec probat intentum.

215 Praeterea, quod agens aliquod naturale non possit agere in aliquid distans, nisi prius agat in medium, potest esse ratio duplex. Prima quidem ordo potentiarum, et propter hoc forma substantialis solis non potest immediate attingere ad formarum substantialium introductionem, nisi prius lux solaris alteret irradiando. Nec tamen forma substantialis agit in medium illa actione qua agit in distans, ubi generat mineralia et plantas. Non tamen potest ibi generare
220 immediate nisi prius radius diffundatur propter ordinem potentiarum, sicut nec voluntas potest exire in actum nisi intellectus sit prius in actu suo. Secunda vero ratio potest esse imperfectio potentiae activae quae procedit de necessitate de imperfecto ad perfectum, propter quod oportet quod agens naturale prius agat in medium quam attingat passum quod distat. Si ergo tollantur haec duo, ordo scilicet et imperfectio ab aliqua potentia, tunc non patet quare non possit agere
225 ubi praesentialiter non existit. Sed manifestum est quod haec duo tolluntur ab omnipotentia Dei. Ergo potest agere Deus ubi praesentialiter non existit.

Dixerunt ergo isti quod licet Deus ubique sit et ubique ipsius actio se extendat, non tamen eius actio facit quod per essentiam praesentialiter sit ubique. Est igitur non propter operationem ubique sed propter praesentiam suae essentiae ad res omnes, ita quod huiusmodi praesentia
230 aliud est ab operatione. Et potest poni realis respectus existens subiective in creatura et terminatus ad divinam essentiam.

Opinio Riccardi. Dixerunt quoque alii quod Deus est ubique ratione suae immensitatis spiritualis positivae, ubi considerandum quod quadruplex est simplicitas. Prima quidem
235 negativa magnitudinis, qualis est simplicitas puncti, qui nec est extensus nec innatus extendi. Secunda vero simplicitas privativa magnitudinis, qualis esset in substantia corporea, si per divinam potentiam foret a dimensionibus separata, tunc enim esset nata extendi et non extensa. Tertia vero est simplicitas positiva spiritualis magnitudinis, finitae tamen, et talis est simplicitas angeli et animae. Non enim debet concipi angelus sicut punctus, sed cum quadam magnitudine
240 spiritu- /Vb 403rb/ ali. Quarta vero est simplicitas positiva spiritualis magnitudinis infinitae, et talis est simplicitas divina, quae ponit immensitatem. Secundum /X 859b/ hoc ergo Deus ratione magnitudinis infinitae spiritualis, quam habet, attingit omnem creaturam et est ubique.

Opinio Durandi. Dixerunt autem alii quod ultra illam existentiam qua Deus est in rebus per
245 operationem dicitur ibi esse per essentiam et praesentiam, quia operatio facit realem exhibitionem et coexistentiam Dei ad creaturam. Sicut enim figura sigilli non fit nec conservatur in aqua nisi ad realem coexistentiam et exhibitionem sigilli in aqua, <sic>³ nulla res conservatur in esse nisi ad realem coexistentiam Dei cum creatura. Haec autem coexistentia vel praesentialitas non est situs sed ordo, quia quod est situs in corporibus est ordo in spiritibus
250 secundum Augustinum. Iste igitur ordo Dei ad creaturam vocatur praesentialitas, secundum quam Deus praesens est omni creaturae.

Opinio aliorum. Dixerunt demum alii quod locus proprie dictus quattuor habet conditiones. Habet enim locatum circumscribere, conservare, definire, et praesentialiter tenere. Et secundum
255 hoc inveniuntur aliqua quadrupliciter esse in loco. Primo quidem naturalia corporalia secundum omnes istas quattuor conditiones, nam et in loco circumscribuntur, conservantur, definiuntur, et praesentialiter existunt. Secundo vero corpora mathematica; imaginamur quidem ea in loco secundum tres conditiones exclusa conservatione. Tertio vero sunt in loco spiritus creati secundum duas conditiones tantum, quia et praesentes sunt loco et ibi definiuntur. Quarto vero

³ Bo; si Vb

260 est in loco Deus solum secundum ultimam conditionem quae est praesentialitas. Haec autem praesentialitas non est situs sed quaedam simultas. Quae quidem simultas est relatio realis ex parte creaturae terminata ad essentiam divinam sub ratione absoluta. In spiritibus tamen praesentialitas ad locum est realis relatio consurgens in utroque extremorum.

265 **Quid secundum veritatem dicendum, et primo quod praesentialitas Dei ad res, secundum quam dicitur per essentiam in rebus, non potest dici simultas vel relatio simultatis, contra secundam et ultimam opinionem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quintuplici propositione. Prima quidem quod illa praesentialitas qua Deus per essentiam dicitur esse in rebus non potest poni relatio simultatis vel simultas entitatis divinae cum entitate creata.
 270 Impossibile est enim concipere simultatem inter aliqua, quin concipiatur aliquod fundamentum in quo sint simul, ut ea quae sunt simul in tempore vel in situ vel in spatio vel in aliquo alio. Sed realitates deitatis et creaturae non sunt in aliquo simul. Non enim sunt simul in tempore, ut supra probatum fuit, nec sunt simul in situ, cum Deus abstrahat ab omni situ, nec sunt simul in loco, cum Deus abstrahat a loco, immo ipsum esse /X 860a/ in loco non est aliud secundum sic
 275 ponentes quam talis simultas. Dicere autem quod sint simul in illa simultate nihil est dictum, nam illud in quo aliqua sunt simul est fundamentum illius simultatis, simultas autem non est fundamentum sui ipsius. Unde patet quod non possunt dici illae duae entitates simul in loco. Et confirmatur, quia si poneretur aliquod corpus non esse in loco, utpote ultima sphaera, Deus non posset dici simul esse in loco cum ultima sphaera, quia nec ultima sphaera esset in loco. Nec
 280 possunt etiam dici simul in aliquo alio nisi forsitan in essendo, quia utrumque est ens, quod /Vb 403va/ non sufficit ad hoc quod unum alteri sit praesens. Ergo nihil est dictum ista realis simultas aut realis praesentia.

Praeterea, impossibile est Deum aut aliquam rem concipi ut simul existentem cum alia, nisi quatenus intelligitur ibi esse, ubi est alia. Et per consequens praesentialitas et simultas
 285 praesupponit quod utrumque habeat esse ibi vel hic, et sic quod utrumque sit subiectum situs vel ubi. Unde praesentialitas et simultas non potest intelligi nisi inter duo situata quorum quodlibet sit hic, et quia in eodem hic, propter hoc dicantur simul esse et mutuo praesentia. Unde simultas non facit aliquid esse in loco, sed supponit esse in loco. Sed manifestum est quod Deus non est subiectum situs, alioquin se ipso locaretur et situaretur. Ergo non potest dici quod suum esse in
 290 creaturis sit relatio simultatis, cum illa supponat situm.

Praeterea, si concipitur coexistentia aut praesentialitas vel simultas inter creaturas et Deum quasi relatio media, aut fundatur illa relatio coexistentiae in creatura super ipsam ut res est aut super ipsam ut situata est. Sed non potest dici quod super ipsam absolute ut res est. Simultas enim fundata super aliqua, ut res sunt, facit tantum illa esse simul in essendo rem. Non est enim
 295 aliud tale coexistere quam utrumque rem esse. Hoc autem non sufficit ad praesentialitatem, secundum quam dicimus quod Deus praesens est creaturis. Talis namque simultas est inter ea quae sunt in oriente et in occidente aut quae maxime distant, cum quodlibet illorum sit res. Nec potest dici quod fundetur super rem ut situata est, quia simultas facit utrumque esse situatum. Non enim fundatur simultas in aliquo in quantum album nisi ad aliud coalbum, nec simultas in
 300 aliquo in quantum res nisi ad aliquid aliud quod sit res. Et ita nec simultas fundatur in creaturis in quantum situatae sunt nisi in ordine ad aliquid aliud quod sit situatum, cuiusmodi non est Deus. Igitur poni non potest talis praesentialitas simultatis inter Deum et creaturam.

Praeterea, omne quod intelligitur ut abstractum in se ipso ab omni termino, infra quem sit et extra quem nihil de eo sit, ita quod caret huiusmodi terminis et omni intra vel extra in sua
 305 realitate nec aliter concipitur nisi sub ratione mere quidditativa, per necessitatem abstrahit ab omni simultate ad aliquod situatum. Nam talis simultas daret sibi quod conciperetur cum quodam intra vel extra, unde conciperetur ut intra rem et non extra. Sed manifestum est quod Deus abstrahit simpliciter ab huiusmodi, /X 860b/ sicut ratio rosae simpliciter sumptae, ut alias dictum fuit. Igitur non potest concipi cum tali simultate vel coexistentia ad rem situatam.

310 **Quod illa praesentialitas non potest esse relatio ordinis, ut opinio quarta dicit.** Secunda vero propositio est quod praesentialitas illa non potest dici relatio ordinis. Talis enim ordo vel

esset causalis, utpote habitudo huius ab hoc effective, vel huius ad hoc finaliter, vel huius sub hoc formaliter, vel esset habitudo situationalis, utpote quia huius in hoc, vel iuxta hoc, vel infra hoc
 315 situationaliter, vel ante, vel retro. Sed nullum istorum dici potest. Primum siquidem non, quia dato quod Deus non esset in rebus adhuc salvaretur ordo causalis, unde patet quod non est idem formaliter Deum esse in rebus quod res esse a Deo, vel ad Deum, vel in nobilitate sub eo. Nec /Vb 403vb/ potest dari secundum, quia tunc per necessitatem Deus situaretur, si Deum esse praesentem lapidi, esset ipsum iuxta lapidem vel infra lapidem situare. Non enim potest intelligi
 320 Deum esse iuxta vel infra sine situ, cum istae sint differentiae positionis secundum Philosophum III *Physicorum* et Commentatorem ibidem. Ergo non potest poni quod praesentia secundum quam Deus est in creatura sit formaliter ordo.

Praeterea, ordo in communi non videtur aliud esse quam habitudo. Unde vel sic dicentes intelligunt quod ista praesentialitas est ordo, quia est quaedam relatio aut habitudo in generali,
 325 aut intendunt quod sit quaedam specialis habitudo quae dicatur ordo. Sed quodcumque dicant insufficienter dictum est. Primum quidem, quia nimis generale et confusum est. Secundum vero, quia non declarant de isto ordine qualis habitudo est, praesertim cum Deum esse in creatura non sit formaliter Deum ordinari ad creaturam aut creaturam ordinari ad Deum. Esse enim 'in' formaliter non est esse ad aliquid ordinatum, ut ex terminis patet. Igitur id quod prius.

330 **Quod praesentialitas ista non potest esse formaliter operatio procedens a Deo et terminata ad creaturam, ut opinio prima dicit.** Tertia quoque propositio est quod huiusmodi praesentialitas secundum quam Deus dicitur in creaturis non potest esse formaliter ipsa operatio Dei in creaturas, utpote continua conservatio aut datio entitatis earum. Si enim Deum esse in
 335 creaturis esset formaliter ipsum operari, sequeretur quod non esset aliud Deum esse in creaturis per essentiam quam per potentiam. Unumquodque enim metaphorice dicitur esse ubi resplendet sua potentia per suum operari, secundum quem modum dicimus regem esse in qualibet parte regni. Sed manifestum est quod aliquid aliud importat Deum esse ubique per essentiam quam secundum illum modum metaphoricum et resplendentium potentiae /X 861a/ et virtutis. Ergo
 340 aliud sonat Deum esse ubique quam ipsum operari ubique. Et confirmatur per verbum Magistri in littera, reprehendentis praesumptionem aliquorum dicentium quod ideo Deus per substantiam dicitur esse in rebus, quia per virtutem propriae substantiae facit, ut etiam loca sint et omnia quae in eis sunt, nec cessat in eis aliquid operari. Et subdit Magister quod in verbis illis in quibus dicitur Deum esse ubique per essentiam plus contineri credendum est quod homo vivens
 345 capere non valet.

Praeterea, si idem esset Deum operari creaturas et esse in creaturis, res poneretur indifferenter vel hoc vel illud ad eandem interrogationem. Ex interrogationibus enim perpenditur formalis identitas vel non-identitas eorum quae respondentur. Et propter hoc convincitur distinctio quantitatis et qualitatis, quia unum respondetur ad interrogationem factam
 350 per quantum, reliquum vero interrogatur per quale. Sed constat quod interroganti ubi est Deus non proprie respondetur quod creat vel conservat; interroganti etiam quid agit non proprie respondetur quod est ubique. Igitur hoc non est illud formaliter.

Praeterea, Augustinus V *De Trinitate*, capitulo 2, distinguit inter ista, cum ait: "Intelligamus Deum sine indigentia, creatorem sine loco, ubique totum". Sed non distingueret, si formaliter
 355 essent idem Deum esse creatorem et Deum esse ubique. Igitur non sunt idem.

Quod non sufficit dicere Deum esse in loco propter simplicitatem positam spiritualis magnitudinis, sicut opinio tertia fingit. Quarta autem propositio est quod simplicitas spiritualis magnitudinis positiva non sufficienter declarat quomodo Deus est ubique. Aut /Vb
 360 404ra/ enim intelligunt sic dicentes quod in Deo sit magnitudo distensiva, aut quod in eo sit magnitudo intensiva ponens intensionem nobilitatis et perfectionis eo modo quo sapientia alicuius dicitur magna vel intellectus, prout Augustinus dicit quod in rebus quae non mole magnae sunt illud est maius quod melius. Sed manifestum est quod primum dari non potest, quia talis magnitudo est formaliter quantitas et dimensio quod omnino Deo repugnat. Si vero
 365 intelligatur magnitudo intensiva, sic non apparet quod aliquid faciat ad esse in pluribus locis.

Non enim albedo intensior exigit maiorem locum quam minus intensa, ut Auctor *VI Principiorum* in capitulo 'De susceptione magis et minus' ait. <Dicit>⁴ enim quod non est purior albedo in pede equi quam in margarita, immo minus intensa. Ergo immensitas aut magnitudo intensiva non sufficienter declarat quomodo Deus sit ubique. Et confirmatur per hoc quod

370 Augustinus ait ad Dardanum in libro *De praesentia Dei*. Dicit enim quod non quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut lux ista diffunditur, sed potius sicut in duobus sapientibus quorum alter altero grandior est.

Praeterea, dato quod haberet Deus spirituales */X 861b/* magnitudinem restat inquirere quid est dictu magnitudinem illam esse ubique, an videlicet per contactum, vel praesentialitatem, vel

375 similitatem, an coexistentiam, vel aliquid huiusmodi. Sed declaratum est quod nullum istorum est possibile. Igitur id quod prius.

Quod Deus dicitur esse in rebus, non secundum aliquam conditionem positivam quam habeat locatum in ordine ad locum, sed quia retinet unam conditionem negativam, scilicet omnimodam indistantiam a loco. Quinta demum propositio est quod, cum locatum habeat multas conditiones positivas in ordine ad locum, per nullam tamen de eis Deus dicitur esse in loco, sed propter hoc quod retinet unam conditionem negativam quam locatum habet in ordine ad ipsum locum. Haec autem est indistantia aut non distare a loco. Ad cuius evidentiam considerandum quod locatum respectu loci habet multas condiciones. Primam quidem quod

385 ipsum contingit. Secundam vero quod est simul cum eo; quae quidem simultas non est aliud quam unitas in situ. Ultima enim eorum sunt unum in situ unitate cuiusdam contactus, et ex istis oritur illa conditio quae appellatur praesentialitas vel coexistentia locati cum loco. Alia vero conditio est quod circumscribitur a loco. Et alia est quod figuratur secundum figuram loci. Et alia est quod conservatur in loco. Et alia est quod non distat a loco; si enim interiaceret spatium

390 medium, non diceretur esse in loco illo. Contingit autem aliquid non distare a loco propter positionem relationis oppositae, scilicet propinquitatis, et hoc modo locatum est non distans a loco, quia propinquum est ei et ipsum contingens. Vel contingit non distare absque positione oppositae habitudinis, ita quod illud non distans non erit propinquum aut contingens, nec tamen erit remotum, quia abstrahit ab omni situ, nec est capax propinquitatis aut distantiae sive

395 similitatis et elongationis, quae sunt habitudines fundatae super situm.

Ad propositum ergo impossibile est quod Deus comparetur ad ma- */Vb 404rb/* chinam mundialem secundum aliquam habitudinem positivam locati ad locum. Nam omnes illae fundantur super situm et exigunt utrumque esse situatum, cuiusmodi sunt contactus, simultas, praesentialitas, propinquitas, coexistentia, esse intra vel intimari et similia. Retinet ergo

400 privationem oppositi omnium istorum, videlicet quod non distat a tota machina mundiali et a qualibet parte eius, nec elongatur, nec est extra, sed est omnino indistans. Nec tamen propter hoc propinquus aut intra vel simul, sed abstrahit ab huiusmodi habitudinibus positivis relinquendo negationem alterius, videlicet distantiae et elongationis quam etiam locatum retinebat et cum hoc oppositam habitudinem positivam. Sic igitur esse ubique non ponit in Deo

405 habitudinem positivam sed negationem cuiusdam habitudinis, videlicet omnimodam indistantiam */X 862a/* ab omnibus rebus. Non dicit autem privationem illarum habitudinum quas locatum retinet in ordine ad locum, unde Deum esse ubique non dicit formaliter Deum non esse intra res aut non coexistere rebus aut non esse propinquum rebus; secundum hoc enim tolletur omnis conditio locati ad locum et nullam relinqueret. Propter quod esse ubique nullam de illis

410 formaliter importat, sed potius illam quam locatum habet ad locum, videlicet omnimodam inelongationem et indistantiam. Haec autem indistantia videtur esse quaedam praesentialitas vel intimitas vel simultas, quamvis non positiva. Et propter hoc conceduntur propositiones huiusmodi in scriptura, et dicitur quod Deus est <intimus>⁵ omni rei et coexistens ac praesens⁶.

His tamen quae dicta sunt multa obviare videntur. Quandocumque enim aliqua inter se non

415 ponunt in numerum, impossibile est unum sine altero retineri. Sed in locato non est aliud non

⁴ Bo; om. Vb

⁵ Bo; intimus Vb

⁶ in add. Vb

distare a loco quam loco propinquum esse, fundatur enim super propinquitatem huiusmodi negatio distantiae; nec est ibi alia indistantia formaliter quam propinquitas. Ergo impossibile est quod Deus retineat indistantiam a rebus, nisi retineat propinquitatem et simultatem.

Praeterea, secundum ista non est aliud Deum esse ubique quam ab omnibus non distare. Sed
 420 constat quod angelus et omnis spiritualis creatura, immo et omnis conceptus obiectivus abstractus est indistans ab omnibus rebus; angelus enim nec est propinquus nec distans, similiter nec unitas, nec rosa simpliciter concepta, nec virtus, nec iustitia. Ergo angelus et omnis res abstracta erit ubique, quod est erroneum, cum esse ubique sit proprium solius Dei.

Praeterea, si esse ubique dicit Deum non distare a rebus, <pari ratione debet importare Deum
 425 esse non propinquum rebus>⁷, cum Deus nec propinquus sit nec remotus secundum ista. Sed manifestum est quod hoc non significat esse ubique, alioquin non esset aliud dicere 'Deum esse ubique' quam ipsum non esse propinquum omnibus aut non insistens omnibus, cuius oppositum Sancti dicunt. Igitur id quod prius.

Praeterea, nullius positivi formalis ratio consistit in negatione. Sed 'esse in' formaliter est
 430 quid positivum. Ergo non consistet in negatione. Unde modus iste dicendi videtur contradictoria implicare, cum ponit quod 'esse in' consistat in 'non esse in'.

Praeterea, Augustinus in libro *De praesentia Dei* dicit quod Deus adest omnibus rebus, et non solum dicit quod non desit, immo utrumque reperitur dictum, videlicet quod non deest sed adest. Ergo plus importat Deum esse ubique quam non distare vel non esse absens omnibus
 435 rebus.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius. Haec est enim mens Augustini *LXXXIII quaestionum*, quaestione 20, cum dicit quod /Vb 404va/ Deus non alicubi est, et tamen quia est, in loco non est; in illo sunt potius omnia quam ipse alicubi. Et Hilarii VIII *De Trinitate*, cum dicit quod Deus est vivens potestas qui nusquam non assit nec desiit usquam, ut ubique esse
 440 credatur, cum in omnibus non desinat. /X 862b/ Similiter et Augustini *Super Ioannem* dicentis quod Deus est qui nusquam deest. Unde per istos modos loquendi innuunt Sancti quod Deum esse ubique non importat aliquam habitudinem positivam sed tantum non distare ab omnibus vel non abesse sive non deesse, cum quandoque dicant ipsum nusquam esse et in omnibus esse. Est tamen considerandum quod aliud est abstrahere a distantia et propinquitate et ita utrumque
 445 negare et aliud est negationem distantiae concernere seu indistantiam sibi determinare. Esse igitur 'in' non abstrahit simpliciter a distantia vel propinquitate et a negatione distantiae, immo concernit et determinat negationem huiusmodi. Unde cum intelligitur Deus in aliqua re esse, non apprehenditur Deus abstracte a propinquitate et a distantia et a negatione utriusque, immo intelligitur determinate sub negatione distantiae quia sub omnimoda indistantia a re illa. Et
 450 secundum hoc patet quod praeexigitur aliquid per quod Deus determinetur ad huiusmodi negationem, illud autem est operatio attingens intima creaturae. Ex hoc enim quod omnis creatura apprehenditur virtute divina subsistere, necessario concipitur Deus cuius virtute subsistit, et tunc vel concipitur ut distans in alio situ longe positus aut ut assistens sive propinquus illi realitati quam conservat aut saltem ut indistans, quamvis non sit contingens sive
 455 propinquus. Apparet enim quod de necessitate oportet quod sic apprehendatur sub altero istorum trium modorum. Si enim res conservatur a Deo in suis intimis, aut conservatur ab eo extra existente, aut ab eo intra existente, aut saltem non extra existente. Non potest autem mens concipere quod res conservetur aut aliqua res fiat a virtute quacumque nisi vel propinqua et contingente vel saltem non distante, quia operatio non distat a virtute. Unde hoc habet natura
 460 operationis quod de necessitate exigit virtutem qua fit non esse absentem aut in remotis non existentem. Secundum hoc ergo virtus divina necessario intelligitur ut indistans ratione operationis vel ut positive propinqua. Ostensum est autem quod omne tale propinquum esset situatum. Quare relinquatur quod tantum determinet sibi virtutem ut indistantem absque omni contingentia vel propinquitate seu coexistentia vel simultate.

Est autem hic attendendum quod plane per istum modum Damascenus libro I, capitulo 16 ostendit Deum esse ubique. Ait enim quod Deus dicitur esse in loco et locus Dei dicitur, ubi manifesta eius operatio fit, nam ipse quidem per omnia immiscibiliter pertransit et omnibus

⁷ Bo in marg.; om. Vb

tradit suam operationem. Et paulo ante praemisit quod locus, ubi intelligitur et est intelligibilis natura incorporea, est locus ille, ubi nimirum operatur. Et ideo concludit in sequenti capitulo quod solius Dei est ubique esse et secundum idem operari. Deus autem ubique ens et super omnia ubique, et secundum idem operatur vera et simplici operatione. Haec est etiam mens Philosophi *VIII Physicorum*, ubi dicit quod motor est in parte illa mobilis quae velocius movetur; ubi dicit Commentator, commento 81 quod quia iste motor non est in materia, non restat dicere nisi ipsum esse in illis locis in quibus effectus eius apparet, et subdit quod ille locus

475 **/X 863a/** sphaerae qui movetur velocius pro- **/Vb 404vb/** pinquior est motori. Hanc autem appropinquationem debemus intelligere non secundum locum sed secundum esse. Quod enim non est in corpore non est in loco. Sic igitur patet secundum istos quod formalis ratio locationis substantiarum abstractarum consistit in quadam indistantia speciali quam specialiter operatio exigit in virtute a qua profluit effective. Et ita dicuntur locari per operationem, non quidem

480 formaliter, sed coexigenter et manifestative vel magis determinative. Determinat enim sibi per necessitatem huiusmodi indistantiam illius virtutis. Et propter hoc solus Deus potest esse ubique et a cunctis rebus indistans, quia potest ubique operari et omnem effectum attingit per omnipotentiam. Angelus vero non potest operari ubique, cum sit determinatus ad certos effectus, et ideo non intelligitur ut indistans ab omnibus et ita nec ubique.

485 Non procedunt ergo instantiae. Prima siquidem non. Probat enim quod illa indistantia numeralis quae fundatur super propinquitatem duorum corporum non possit separari ab illa propinquitate. Sed quin alia negatio distantiae quae dicitur indistantia absque propinquitate poni non possit, ratio non concludit.

Non procedit etiam secunda. Non enim quaelibet indistantia ab omnibus concepta circa Deum facit Deum esse ubique, sed indistantia illa quam sibi determinat operatio et exigit in virtute a qua profluit. Constat autem quod talem indistantiam non habet angelus respectu omnium rerum, nec ex hoc apprehenditur ab omnibus indistans, quia omnia operetur.

Non valet etiam tertia, quia operatio non exigit de natura sua in virtute a qua procedit negationem propinquitatis, immo propinquitatem exigit in corporibus vel saltem non-absentiam et non-distantiam in rebus abstractis.

495

Non valet etiam quarta. Illa enim quae sunt difficilia ad intelligendum sunt etiam difficilia ad exprimendum, propter quod oportet in talibus uti circumlocutionibus multis. Est autem valde difficile non-distantiam a propinquitate separare, propter hoc quod imaginatio ut in pluribus dominatur in hominibus virtuti cogitativae et abstractivae. Propter quod dicit Magister quod aliquid ultra humanum ingenium videtur contineri in divina localitate, et hinc est quod Augustinus aliquando dicit Deum esse ubique, quia non deest omnibus, exprimendo negative aliquando quod adest positive, quamvis secundum veritatem non sit ibi habitudo aliqua positiva sed indistantia vel sola non-absentia. Unde quia non omnis non-distantia a rebus facit Deum esse ubique, sed illa sola quam exigit operatio apud virtutem propriam a qua fluit, idcirco Deus dicitur adesse omnibus rebus, quia in corporalibus videmus quod operatio exigit virtutem esse propinquam et assistentem. Et in hoc articulus primus finitur.

500

505

Articulus secundus

510

An possit demonstrari ex omnipotentia quod sit Deus in omnibus rebus. Opinio Thomae et Durandi. Circa secundum vero considerandum quod aliqui dixerunt Deum esse ubique efficaciter posse concludi propter hoc quod ubique per sui omnipotentiam operatur largiendo esse rebus et continuo conservando. Operatio enim exhibet per necessitatem virtutem ut praesentem et intimam effectui profluenti. Virtus autem et essentia sunt idem in Deo, quare potest concludi quod Dei essentia est ubique praesens et coexistit omni rei per huiusmodi operationem.

515

Opinio Scoti. Dixerunt vero alii quod nullo modo concludit operatio Deum esse omni **/Vb 405ra/** rei praesentem, cum virtus possit attingere operando ubi realiter non attingit, secundum

520

quod <octo>⁸ rationibus declaratur supra primo articulo in opinione secunda. Deum ergo esse ubique non est demonstrabile, sed pure creditum secundum istos. Hoc enim attestatur scriptura sacra et auctoritates Sanctorum et illa ratio quam Magister ponit in littera, quia Deus non potest esse nusquam; quod enim nusquam est nihil est. Restat quod vel sit alicubi et alicubi non, quod
 525 repugnaret divinae perfectioni, posset enim mutari transeundo de loco ad locum, aut quod ponatur ubique, quod utique verum est.

Modus quorundam. Dixerunt quoque alii quod ex omnipotentia potest Deus demonstrari esse ubique, non quidem quia operatio Deum arguat coexistentem effectui operato, sed per alium
 530 modum. Omnipotentia namque Dei in hoc consistit quod potest in omne illud quod non implicat contradictionem. Tunc igitur posita re in esse aut Deus necessario est praesens illi essentialiter vel potest non esse praesens. Sed non potest dari secundum, quia si potest non esse praesens et postea praesens, aut hoc erit per mutationem factam in creatura aut per mutationem factam in Deo. Secundum dari non potest, quia per se notum est philosophis quod Deus est necesse esse et
 535 impossibilis mutari, et secundum hoc oportebit quod de novo incipiat esse in re per hoc quod aliquid facit in re. Sed nulla mutatio facta est in re, cum iam res ante esset. Igitur per necessitatem Deus ante erat in re, vel sequitur unum de tribus quod scilicet Deus possit mutari aut quod non sit omnipotens, quia non potest se praesentem facere rei, aut quod semper sit in re immutabiliter et de necessitate. Prima duo dari non possunt, igitur tertium sequitur de
 540 necessitate.

Sed hic modus procedendi defectuosus est in duobus. /X 864a/ Primo quidem quia relinquit quartum membrum, scilicet quod Deus sit abstractus, sic quod nulli rei sit praesens. Et ideo non tollitur omnipotentia, licet non possit se praesentem facere, sicut nec tollitur, quamvis non possit se facere lapidem vel lignum. Dicerent enim philosophi quod res abstracta nusquam est, et
 545 secundum veritatem res abstracta non est praesens alicui praesentialitate positiva, sed solum est negative indistans. Unde ex hoc quod ponitur praesens, ponitur situari et per consequens corpus esse. Non est autem Deus non omnipotens, quia non potest se facere corpus esse, et ita omnipotentia non concludit Deum ubique esse.

Secundo vero deficit iste modus, quia dicerent qui ponerent praesentialitatem realem quod
 550 ista est quaedam relatio realis existens in creatura et terminata ad Deum, quae quidem esset extrinsecus adveniens et per consequens immediate acquisibilis, sicut respectus 'ubi' acquiritur et corrumpitur nullo absoluto corrupto vel acquisito. Sic igitur Deus respectum illum per suam omnipotentiam posset de novo imprimere creaturae et sic ipse fieret praesens, quia respectus praesentialitatis creaturae de novo datus terminaretur ad ipsum. Et ita per omnipotentiam
 555 tollendo illum respectum fieret de praesente non praesens et de non praesente praesens illum dando de novo, sicut et angelus secundum istos nunc facit se praesentem isti corpori, nunc illi per hoc quod respectus praesentialitatis subest suae voluntati.

Quid dicendum secundum veritatem, et primo quod operatio generalis qua Deus cuncta conservat non arguit demonstrative Deum habere praesentialitatem aut coexistentiam positivam vel simultatem cum rebus, contra primam opinionem. /Vb 405rb/ Restat igitur
 560 nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione. Prima quidem quod operatio non arguit demonstrative virtutem operantem esse praesentem vel habere simultatem aut coexistentiam aut positivam praesentialitatem cum operatione vel operato. Operatio namque, quantumcumque sit
 565 situata, non arguit virtutem operantem esse corpoream vel situatam, alioquin sequeretur quod motus non posset esse a virtute abstracta; et ita caeli non moverentur a virtute immateriali, cuius oppositum demonstratur VIII *Physicorum*. Ibi enim ostenditur quod infinita motio caeli arguit virtutem moventem esse omnino incorpoream et abstractam ab hic vel ibi et penitus ab omni situ. Sed si operatio existens in corpore argueret virtutem moventem esse coexistentem illi
 570 corpori vel esse simultanee praesentem utpote interius existentem, necessario argueret virtutem illam esse situatam, cum patet ex terminis quod intus existere vel simultanee praesens esse formaliter non sit aliud quam in eodem situ esse. Ergo operatio manens in corpore non arguit

⁸ Bo; actio Vb

virtutem operantem esse intimam illi corpori vel simultanee praesentem. Immo stant ista duo, videlicet quod illa virtus sit penitus abstracta, sic quod nec sit intra corpus nec extra, et quod
575 immediate profluat motio corporis ab eadem. /X 884b/ Talis enim intimatio aut insistencia repugnat omni abstracto a situ.

Sed forte dicitur quod praesentialitas non est aliquid situale, licet intimitas sit aliquid pertinens ad situm, et ideo praesentialitas cuilibet parti corporis probari potest de illa virtute abstracta ex vi operationis. Fundabitur enim non super situm sed super esse et realitatem illius
580 virtutis abstractae. Non solum enim situatum situato videtur esse praesens, immo et abstracto et quaelibet res ex eo quod res videtur possibilis esse praesens alteri rei, iuxta illud Commentatoris VIII *Physicorum*, commento 81, qui dicit quod appropinquationem ad motorem debemus intelligere secundum esse, non secundum locum. Et eodem modo videtur posse dici de praesentialitate. Si utique sic dicatur, non valet, quia certum est quod praesentialitas est relatio
585 situalis, unde duo abstracta non possunt apprehendi ut mutuo praesentia, quod patet, quia non est aliud praesentialitas quam propinquitas sine medio sicut eius oppositum, videlicet absentia non est aliud quam elongatio quaedam et interiaccens distantia. Unde cum destructa tota machina corporali nullus possit nisi phantastice apprehendere quod angeli a se distent vel sint elongati et absentes, sic nec potest apprehendere quod sint propinqui vel praesentes. Et patet quod
590 Commentator utitur verbo appropinquationis, quod exprimit relationem situationalem, et ideo non accipit propinquitatem positive sed privative pro non-distantia.

Quod operatio per necessitatem arguit virtutem a qua profluit carere relatione distantiae, contra secundam opinionem. Secunda vero propositio est quod operatio per necessitatem
595 probat virtutem operantem non esse elongatam vel distantem, ita quod relatio distantiae impedit operationem. Omnis enim virtus quae est subiectum distantiae et elongationis est situata. Omne autem situatum agit per contactum, cum sit corporeum et quantum. Omne autem agens per contactum, dum agit, caret distantia et elongati- /Vb 405va/ one. Contactus enim est simultas opposita distantiae et elongationi. Ergo omnis virtus quae est apta nata subiici distantiae et elongationi impossibile est quod agat nisi careat actuali distantia et elongatione, et per
600 consequens omnis operatio est a virtute indistante.

Praeterea, si aliqua operatio esset a virtute distante, sequeretur quod illa operatio esset abstractior et altior illa virtute quae non procederet ab illa virtute secundum modum situationalem et linearem. Si enim modo lineari et situati procederet, necessario extenderetur operatio illa per
605 totum spatium distantiae quod est inter virtutem et terminum ipsius operationis, et per consequens haberetur intentum quod virtus non esset distans ab operatione. Et ideo videmus, cum aliquid agit indistans, quod actionem suam diffundit per totum spatium ipsum alterando quod si non procederet illa actio a virtute modo abstracto, abstrahendo scilicet a /X 865a/ spatio et distantia ac situ quod impossibile est. Tunc enim modus agendi esset nobilior quam virtus.
610 Ergo impossibile est operationem procedere a virtute situatiter distante. Unde attendendum quod secundum hoc et virtus esset situata et operatio situata, ex quo essent ad invicem distantes. Habitudo tamen operationis ad virtutem non dependeret a situ nec haberet aspectum ad spatium, et ita modus operandi esset abstractus, ita quod virtus non dependeret a spatio in operando, quod impossibile est, quia operari sequitur esse et modus operandi modum essendi.

Praeterea, si virtus aliqua posset agere immediate in aliquid distans sub certa remotione, posset agere immediate in aliquid distans in infinitum. Ex quo enim distantia non impedit nec
615 exigitur simultas virtutis cum operatione, spatium intermedium accidit virtuti in operando. Quaecumque autem variatio fiat circa accidens, non immutatur quod est per se, unde variato musico quod per accidens aedificat semper remanere potest aedificator per se aedificans.
620 Existente ergo spatio finito vel infinito nihil immutabitur circa operationem virtutis quae non respicit spatium nisi per accidens. Sed constat quod sol aut virtus alia quaecumque creata agere non potest in aliquid distans in infinitum, si infinitum per impossibile poneretur. Ergo nec potest absolute agere in distans immediate a spatio intermedio abstrahendo.

Praeterea, quandocumque aliqua finita distantia exigitur inter virtutem et operationem, ita
625 quod virtus aspiciat aliquam certam distantiam ultra quam agere non potest, eadem virtus

necessario aspiciat quamlibet partem illius distantiae, et ita illud spatium quod est inter virtutem et operationem aspiciat quantum ad omnem sui partem. Sed virtus aspiciens spatium quantum ad quamlibet sui partem in operando necessario totum spatium alterat et immutat. Ergo talis virtus necessario elicit operationem primo in partem spatii contingentem et deinde in partes reliquas, et
 630 per consequens agit contingendo nec immediate indistans. Relinquitur ergo quod virtus quae non potest agere in distans in infinitum sed impeditur ab aliqua finita distantia necessario impediatur a qualibet distantia quantumcumque minima, nisi prius pars virtutem contingens immediate attingatur; respicit quidem quamlibet partem medii ex quo respicit totum. Nam totalitas consur- /Vb 405vb/ git ex partibus, et si non respiceret aliquam partem, iam non
 635 respiceret totum. Istud autem respicere non est aliud quam per operationem attingere. Unde manifestum est quod si aliqua finita distantia impedit virtutem, hoc non est nisi quia per totum spatium diffunditur operatio, et ita talis virtus non aget immediate in distans, quod si operatio non diffunditur, a nulla finita distantia virtus impediatur. Et ita sol potest inducere formam substantialem quantum est ex se in materiam dispositam in infinitum distantem, si eius /X 865b/
 640 actio non eget, ut per totum spatium intermedium diffundatur.

Est ergo sciendum quod ideo omnis virtus corporea potest in aliquam certam distantiam, ita quod ultra non potest, et quia diffundit actionem suam per totum medium, ita quod immediate partem propinquam attingit et deinde partem remotam mediante propinqua. Actio autem quanto magis removetur a virtute tanto amplius debilitatur, et per consequens in certa distantia deficit.
 645 Sed si virtus non diffunderet actionem in totum spatium sed immediate diffunderet in distans, non esset debilior actio in parte magis distante quam minus distante, cum aequae immediate proflueret a virtute. Et per consequens quaecumque distantia daretur, virtutem istam in agendo non impediret. Cum igitur nulla sit virtus situata et corporea quae possit in omnem distantiam in infinitum, manifeste convincitur quod nulla potest immediate in aliquid distans, sed semper
 650 attingit propinquius mediante remotiori, unde agens corporeum agit contingendo superficiem passi. Nec potest dari prima pars quae immediate attingat; illa enim divisibilis esset et partem priorem illius partis prius attingisset et deinde eiusdem partis partem propinquiorem et sic in infinitum. Et ideo dari non potest primum mutatum esse. Et si dicatur quod ea quae dicta sunt probant de virtute corporea quod non possit agere in distans, sed non de virtute divina aut
 655 quacumque spiritali et abstracta, non valet quidem, quia omnis virtus distans necessario est corporea et situata, cum distantia sit relatio fundata super situatum et positum, tale autem est quantum.

Quod rationes supra positae articulo primo opinione secunda concludentes quod aliquid potest agere in distans immediate efficaces non sunt. Tertia quoque propositio est quod rationes supra primo articulo inductae, quod aliquid possit agere in aliquid distans a forma per quam agit, nullo modo procedunt. Prima siquidem non. Falsum enim assumit, scilicet quod formarum substantialium introductio sit immediate a forma solum et non mediante calore qui generatur a sole radio mediante. Secundum hoc enim generatio formae substantialis non esset
 665 finis alterationis, quamvis esset in fine alterationis, nec esset una actio alteratio et introductio formae substantialis in ordine ad agens, sed essent duae actiones disparate coniunctae, et ita generatio formae substantialis fieret per se ab agente. Quod est contra Commentatorem VI *Physicorum*, commento 32, qui dicit quod /X 866a/ transmutationes sunt duobus modis, quia modus existens per se (et est transmutatio quae est de quiete in quietem) et modus existens non
 670 per se (et est transmutatio quae est finis alterius transmuta- /Vb 406ra/ tionis ut mutatio columnae de dextro in sinistrum a motu locali columnae). Et manifestum est quod mutationes istae sunt in non-tempore, quia sunt fines transmutationum. Finis autem indivisibilis est et differt ab illo cuius est finis. Et est manifestum quod impossibile est ut sit per se. Haec Commentator. Ex quibus patet quod nulla mutatio indivisibilis attingitur immediate ab agente
 675 sed mediante aliqua transmutatione divisibili cuius indivisibilis transmutatio sit terminus et finis. Unde transmutans columnam a dextra in sinistram non facit alia actione columnam dextram nisi transmutando localiter ipsam; nec domificans alia actione inducit formam domus, quam per motum localem lapidum et lignorum; nec imprimens figuram in cera alia actione

figuram imprimit et alia partes movet, immo partes cerae movendo ad situs varios eadem
 680 motione figuram introducit. Similiter ergo inducens formam substantialem non alia actione
 imprimit formam substantialem ab alteratione, immo alterando formam substantialem per
 modum cuiusdam sequelae inducit. Sicut enim figura est quaedam sequela motus localis – pro
 eo quod eius terminus, scilicet situs partium, est accidens proprium et inseparabile a figura,
 propter quod inducens varium situm partium de necessitate ex consequenti inducit formam,
 685 alioquin separaretur situs partium a figura, quod impossibile est – sicut inducens accidentia
 propria formae substantialis et inseparabilia inducit per necessitatem consequenter formam
 substantialem. Propter quod dicit Commentator I *Physicorum*, commento 62 quod si forma
 substantialis non suscipit magis et minus, necessario accidit in propriis accidentibus quod non
 cessant partes recedere et partes fieri, donec forma inducatur, unde necessario sequitur
 690 alterationem. Et similiter in VI, commento 58 dicit quod, cum caro generatur ex sanguine,
 amittuntur qualitates et accidentia propria sanguinis et fiunt propria carnis, donec amittatur
 forma sanguinis, et fiat forma carnis in non-tempore. Similiter etiam II *Caeli et mundi*,
 commento 42 sententialiter dicit quod calor generatur a motu, quia motus est perfectio corporis
 calidi. Cum igitur corpus fuerit in sua ultima perfectione motus, erunt et omnia accidentia
 695 necessaria formae ignis in sua perfectione, et ita etiam forma ignis, propter quod motus generat
 calorem et ignem. Sic igitur radius solaris inducit in materia corporali lucem propriam alicui
 formae substantiali, et inducendo lucem necessario inducit calorem proportionalem illi formae,
 et mediante omnia accidentia propria quibus inductis forma substantialis de necessitate inducta
 est eadem inductione. Quemadmodum et figura eadem actione inducitur in cera qua partes cerae
 700 moventur ad situm proportionalem illi figurae. Et propter hoc Philosophus VII *Physicorum* /X
866b/ assimilat generationem formarum substantialium generationi figurarum et formarum de
 quarta specie qualitatis ostendendo quod non sit immediate motus in illa, sed acquiruntur per
 modum sequelae alia <acquisita>⁹. Ubi dicit Commentator commento 16 quod, si generatio
 figurarum est alteratio, contingit quod generatio in substantia est alteratio, quasi sit simile
 705 omnino in acquisitionibus utriusque. Unde patet quod in istis quod est primum intentione
 agentis est ultimum in executione, nam artifex et sigillans per prius intendit formam domus /Vb
406rb/ et figuram sigilli. Non inducit autem nisi ex consequenti per modum sequelae. Similiter
 et generans per prius intendit formam substantialem, et tamen ipsam per prius non inducit, quia
 nec inducibilis est, cum sit indivisibilis. Non est autem verum quod aliqui imaginantur situm
 710 partium formaliter esse figuram, ut propter hoc inducens situm inducat figuram. Situs enim est
 propria passio quantitatis, ut patet in *Praedicamentis*, et respondetur formaliter ad
 interrogationem factam per 'ubi'; dicitur enim quod haec pars est superior, illa inferior, haec ibi,
 et ista hic. Figura autem, cum sit terminus quantitatis, non respondetur ad interrogationem
 factam per 'ubi' sed per 'quale'. Unde patet quod situs et terminus quantitatis non sunt formaliter
 715 idem. Quod igitur assumebatur solem per suam formam substantialem inducere formas
 substantiales et non radio mediante, patet quod falsum est, quia radio alterante inducit omnia
 accidentia propria formae generandae et ipsam formam per modum sequelae, sicut artifex
 mediante motu locali inducit formam domus; non enim artifex per motum localem disponit
 partes, ut deinde alia actione imprimat formam. Et ideo nec sol per radium disponit materiam, ut
 720 demum in fine dispositionis per aliam actionem imprimat formam, immo alterando inducit
 formam tamquam finem alterationis. Finis enim separari non potest ab eo cuius est finis,
 accipiendo finem pro termino indivisibili, cuiusmodi est punctus respectu lineae. Et similiter
 finis attingitur immediate ab eo cuius est finis, quare alteratio de necessitate attingit
 generationem formae substantialis. Nec est verum quin illud quod acquiritur per modum
 725 sequelae possit excedere medium per quod attingitur, alioquin motus non generaret ignem.
 Unde propositio illa, quod effectus aequivocus non excedit suam causam, non habet verum nisi
 in effectu totaliter producto, sicut est in creatione. Ibi enim totus effectus continetur virtualiter
 in agente, et per consequens inferior est virtute agentis. In effectibus vero quorum productio non
 est creatio sed tantum motio materiae, donec potentia trahatur ad actum, hoc est materia ad
 730 formam, necessario huiusmodi motio fit a qualitatibus activis et passivis. Nec continetur

⁹ Bo; acquisitio Vb

virtualiter forma substantialis in illis, quia non fit, cum non sit, nisi perfectio et complementum, /X 867a/ et nullo modo res praecise; unde per hunc modum declarat Commentator XI *Metaphysicae*, commento 18, quomodo forma ignis potest induci a motu, cum sit perfectior ipso motu. Ait enim quod cum dicitur conveniens seu simile fieri a conveniente sibi simili, non est
 735 intentio quod conveniens agat per se, id est per suam formam¹⁰ sibi convenientis, sed est dicere quod extrahit eam de potentia in actum. Et sequitur: Generans igitur animam non est dicere quod ponat animam in materia, sed quod extrahit illud quod est anima in potentia ad esse animam in actu, unde ignis generatur a motu sicut ab igne. Haec Commentator. Unde patet quod si agens faceret formam tamquam unam rem praecisam, non esset possibile quod motus
 740 generaret ignem aut quod virtus formativa existens in semine generaret animam. Sed quia nulla res fit totaliter per agens naturale, sed tantum perficitur et completur, possibile est quod aliquid ignobilius moveat incompletum ad suum complementum, et hoc vocaverunt antiqui latitationem formarum aut inchoativum seu seminarium. Non est autem ibi inchoativum aliud nisi ipsamet materia; realitas enim ignis, cum sit una simpliciter indivisibilis in duas, quarum quaelibet sit
 745 hoc aliquid, et /Vb 406va/ praecisa divisibilis est in aliqua quae non sunt res praecisae, sed <potius>¹¹ rei. Unde non sunt duo in veritate, secundum Commentatorem ibidem. Ignis igitur est inchoatus in aere per aliquid sui, et dum a motu illud inchoativum trahitur ad complementum, generatur realitas ignis in actu cuius quidem praecessit inchoatio quae est materia et subsecutus est actus et complementum quod est forma. Sed de his dictum est
 750 perfectius in tractatu *De principiis physicis*, et dicitur etiam amplius in secundo.

Non valet etiam secunda, quia verum non est quin sol sua virtute penetret usque ad intima terrae, ubi mineralia generantur. Haec autem virtus vel est ipsemet radius, qui aliquo modo potest penetrare etiam usque ad centrum terrae, quia omne elementum, etiam ipsa terra, habet aliquid diaphaneitatis¹², alias quodlibet elementum non haberet propriam lucem et visibilem
 755 qualitatem, cuius oppositum patet ad sensum. Vel potest esse alia qualitas insensibilis delata cum lumine, quod videtur innuere Commentator II *Caeli et mundi*, commento 42, cum dicit quod non est remotum quod aliqua forma copuletur cum lumine et reflectatur cum sua reflexione et abscindatur cum sua abscissione; et loquitur de illa virtute per quam sol et stellae generant ista inferiora. Vel potest dici quod illa virtus sit aliquis calor aut alia qualitas
 760 proveniens a radio solis reflexo in superficie terrae et procedens ulterius alterando usque ad loca, ubi mineralia generantur. Sol etiam existens in alio hemisphaerio dicitur plantas et homines in nostro hemisphaerio generare et conservare, vel ratione qualitatum derelictarum in ipso hemisphaerio ex latione solis diurna, vel ratione radorum solarium qui reflectuntur ad lunam et stellas, quoniam omnia sidera aequaliter lumen recipiunt a sole. /X 867b/

765 Non obsistit etiam tertia, quia omnipotens suo velle sic causat quod nec est propinquus nec distans illi rei quam causat, cum simpliciter sit abstractus, sed est omnino indistans, et per consequens habetur propositum quod nulla virtus potest agere in aliquid sibi distans.

Non obviat quoque quarta. Procedit enim ex falsa imaginatione, quasi Deus esset praesens intimitate positiva. Tunc enim separaretur operatio a tali praesentialitate tamquam quid prius.
 770 Sed quia praesentialitas huiusmodi est tantum indistantia, quam quidem sibi determinat operatio circa virtutem a qua fluit, impossibile est quod apprehendatur Deus ut operans quin statim apprehendatur indistans.

Non valet etiam quinta. Tum quia non legitur quod isti allegant Philosophum aut Commentatorem dixisse quod sit aliqua intelligentia movens orbem non existens in orbe per
 775 modum qui expressus est, scilicet per indistantiam negativam. Immo expresse Philosophus I *Caeli et mundi* dicit Deum esse in caelo, ubi Commentator ait commento 22 quod dicere Deum esse in caelo et corpus in loco non est idem. Declaratus est enim in fine VIII *Physicorum* modus secundum quem Deus dicitur esse in caelo, et post declarabitur magis in scientia divinali. Tum quia primum principium non movet ut efficiens motum secundum philosophos executive sed
 780 tantum intelligentia coniuncta quae appellatur motor orbis. Et ideo non procederet ratio quod

¹⁰ formam *add.* Vb

¹¹ Bo; proprius Vb

¹² Bo; diafonitatis Vb

efficiens motum non intelligatur semper esse indistans. Est tamen sciendum quod quia primum principium movet causando desiderium in motore coniuncto secundum philosophos, ideo intelligitur non distare ab illo motore secundum eos, propter quod posuerunt ipsum in eadem parte orbis per indistantiam in qua posuerunt motorem.

785 Non procedit etiam sexta, quia illa praesentia- /Vb 406vb/ litas non est positiva sed negatio sola, et ideo simul intelligitur circa virtutem cum effluxu operationis ab ipsa.

Non cogit etiam septima, quia licet propositio illa "agens et patiens simul sunt" solummodo teneat in corporibus quae agunt per contactum. Generaliter tamen verum est quod operatio est indistans a virtute, sive illa virtus corporalis sit, sive <incorporea et abstracta>¹³. In virtute vero
790 corporea non sufficit sola indistantia negativa, sed est ibi necessaria simultas et contactus.

Non obsistit etiam ultima. Non est enim verum quod ideo sol inducat formas substantiales radio prius diffuso, quia hoc exigit ordo potentiarum activarum, aut propter processum ab imperfecto ad perfectum. Immo perfectior est operatio in parte propinquiori quam in remotiori, dum tamen assit susceptivum. Est ergo ratio, quia alteratio inducit formam substantialem sicut
795 motio partium cerae inducit figuram sigilli, et idcirco non sequitur quin omne agens sit indistans a sua operatione, quia vel operatio contiguatur agenti sicut /X 868a/ in corporalibus vel saltem est indistans sicut in formis abstractis.

Quod universalis conservatio qua Deus agit in res omnes ipsas manutenendo probat demonstrative Deum esse per essentiam indistantem ab omnibus rebus et ita quod sit ubique. Quarta demum propositio est quod universalis manutenentia qua Deus in rebus omnibus intime operatur demonstrative concludit Deum esse ubique per indistantiam ab omnibus rebus; non quidem quod huiusmodi manutenentia sit nota in lumine naturali, sed hac habita per fidem et supposita. Quia et sic omnino verum est, potest formari ratio hoc supposito
805 demonstrative concludens. Impossibile est enim propriam operationem profluere a virtute non intellecta existere, quia quod non est agere non potest nec a virtute intellecta existere distanter et a remotis, ut iam probatum est, quare a virtute non distante. Non autem oportet quod intelligatur procedere a virtute de necessitate propinqua, ut etiam demonstratum est. Quare relinquitur quod hoc solum sit de ratione operationis, ut cogat intellectum apprehendere virtutem ut indistantem a
810 se. Sed constat quod operatio qua res in esse conservantur est intima cuiuslibet rei, ergo necesse est quod divina virtus concipiatur ut indistans ab intimis omnis rei. Virtus autem divina non est aliud quam sua realis essentia. Igitur de necessitate apprehenditur Deus ut indistans realiter et per essentiam ab omni creatura.

Quod autem haec ratio demonstrative concludat patet, quia omnis propositio quae alia
815 coassumpta nota in lumine naturali concludit demonstrative simpliciter et absolute assumpta una alia quae supponitur esse vera concludet demonstrative, non quidem simpliciter sed ex suppositione. Sed Philosophus et Commentator VIII *Physicorum* demonstrative concludunt primum motorem in determinata parte orbis ex ista propositione: impossibile est virtutem esse distantem ab operatione; assumpta ista alia: operatio motoris est maxime in circulo maiori
820 dividente sphaeram in duas partes, arguendo sic quod motor est per indistantiam in illa parte, ubi maxime relucet sua operatio; in illo autem circulo maxime lucet, quia velocius movetur; igitur in illo circulo est /Vb 407ra/ motor, non quidem situationaliter, sed per omnimodam indistantiam. Ergo si eadem propositio sumatur coassumendo aliam et dicendo quod Deus est ibi per omnimodam indistantiam, ubi sua operatio maxime lucet (lucet autem in omnibus rebus,
825 quia omnes intime conservat ut supponitur ex fide), ergo demonstrative sequitur hoc supposito quod Deus est ubique, non quidem situationaliter sed per omnimodam indistantiam. Et in hoc articulus secundus finitur.

830

Articulus tertius

¹³ Bo *p.c.*; incorporea non sufficit sola indistantia negativa et abstracta Vb

An bene assignentur quattuor modi quibus Deus est in rebus, scilicet per essentiam, praesentiam, potentiam, et in quibus per gratiam. Opinio Thomae. Circa tertium autem considerandum quod dixerunt aliqui sufficientiam quattuor modorum quibus Deus in rebus
 835 dicitur esse sic accipi posse quod Deus dupliciter dicitur esse in rebus. Primo quidem sicut obiectum operationis est in operante, quod proprium est in operationibus animae secundum quod cognitum est in cognoscente et desideratum in desiderante; et sic consurgit primus modus quod Deus specialiter est in creatura rationali per gratiam, per quam ipsum diligit et cognoscit actu vel habitu. Secundo vero sicut causa agens dicitur in effectu, et sic est in omnibus rebus.
 840 Videmus autem in rebus humanis quod rex dicitur esse in toto regno per suam potentiam, licet non sit ubique praesens, sed tantum est praesens in omnibus quae sunt in conspectu ipsius. Nec etiam in qualibet parte domus est per substantiam suam, quamvis omnes partes domus sint sibi praesentes, et secundum hoc aliud est esse alicubi per potentiam ab esse per praesentiam et esse per essentiam et e converso. Unde ista tria distinguuntur in tantum quod Manichaei dixerunt non
 845 omnia subesse divinae potentiae sed tantum spiritualia, contra quos dicimus Deum esse ubique per potentiam. Quidam vero dixerunt non omnia subiecta esse divinae providentiae, contra quos dicimus Deum esse ubique per praesentiam. Quidam vero dixerunt quod non immediate creavit Deus omnia, sed quod immediate creavit primas creaturas et quod illae alias creaverunt, contra quos dicimus quod Deus est ubique per essentiam. Sic igitur est in omnibus per potentiam in
 850 quantum eius potestati subduntur et in omnibus per praesentiam in quantum omnia nuda et aperta sunt oculis eius et in omnibus per essentiam in quantum adest omnibus ut causa essendi.

Sed hic modus dicendi non sufficienter videtur distinguere modos quibus ponitur Deus in rebus. Primo quidem quantum ad hoc quod per gratiam dicit Deum esse in rebus sicut obiectum in operante. Quia si hoc verum esset, non esset actu in illis qui actualiter ipsum non diligunt vel
 855 cognoscunt sed tantum in habitu, cum actualiter non obiiceretur eorum intellectui et voluntati. Sed Augustinus dicit in libro *De praesentia Dei ad Dardanum* quod Deus inhabitator est quorundam non cognoscentium eum utpote parvulorum et non solum in potentia vel habitu, immo actu. Sunt enim actualiter templum Dei. Ergo ille modus essendi per gratiam non dicitur secundum quod obiectum est in cognoscente vel diligente.

860 Praeterea, in solis bonis et sanctis dicitur Deus per gratiam secundum Augustinum. Sed per modum obiecti cogniti est in multis non sanctis. Igitur id quod prius.

Praeterea, Augustinus dicit quod anima, cum in singulis particulis corporis assit tota simul, in aliis tamen intensius, in aliis vero remissius operatur. Et Magister in praesenti distinctione ait
 865 **869a; Vb 407rb/** dicitur esse in sanctis, quia in illis plenius et intensius operatur. Ergo non est Deus per modum obiecti cogniti sed potius per modum specialiter operantis ubi existit per gratiam.

Secundo vero deficit quantum ad assignationem praesentiae. Tum quia res creatae non sunt praesentes divino intuitui obiective et terminative sed potius denominative; est enim sola sua
 870 essentia sibi praesens qua praesente existente omnis creatura aequipollenter, immo eminenter est sibi praesens. Tum quia si praesentialitas illa referatur ad esse cognitum, sequitur quod divina essentia non solum est in rebus per praesentiam, immo Deus est in sua essentia per praesentiam, cum sit sibi cognita, quod tamen nullus concedit. Tum quia secundum esse cognitum obiectum dicitur per praesentiam in cognoscente et non e converso, et secundum hoc Deus non erit in
 875 rebus per praesentiam sed potius res in Deo. Unde patet quod praesentialitas secundum quam Deus est in rebus non debet accipi pro praesentia intuitus seu conspectus, tunc enim improprie diceretur Deus per praesentiam in rebus, sed res dicerentur in eius praesentia et conspectu.

Tertio vero deficit quantum ad illum modum quem accipit de potentia, sicut rex est in regno. Talis enim modus est metaphoricus et abusivus. Non enim proprie rex dicitur in regno per
 880 potentiam, quia talis potentia non arguit regem esse praesentem immediate, sed per aliquem executorem mandati regii; non quod ibi sit vere potentia regis, nisi quia apprehenditur a subditis voluntas regia et obligatio cuiuslibet subditi ac concordia ad exequendum. Et ita non est ibi regis potentia nisi secundum esse rationis quia quidam respectus et quaedam habitudo apprehensa. Non sic autem dici potest quod Deus per potentiam metaphorice sit in rebus.

885 Quarto vero deficit quantum ad modum quo Deus est in rebus per essentiam. Adesse namque omnibus rebus ut causa essendi est adesse secundum potentiam et virtutem. Sed iste modus potentiae distinguitur a modo quo Deus est in rebus per essentiam. Non igitur bene assignatur iste modus, quod scilicet esse Deum in rebus per essentiam sit omnibus adesse tamquam causa essendi.

890

Opinio Scoti. Propterea dixerunt alii quod Deus potest tripliciter considerari. Primo quidem ut res efficiens et conservans, et sic est in illis per potentiam. Secundo vero ut res cognoscens, et sic est in ipsis per praesentiam. Tertio vero secundum rationem suae infinitatis et illimitationis, prout cuilibet rei illabitur intime, et secundum hoc est in rebus per essentiam.

895 Sed iste modus dicendi deficere videtur. Primo quidem ex parte primi modi qui coincidit cum tertio. Non enim Deus aliter illabitur creaturae, nisi quia esse ipsius efficit et conservat, quia declaratum est supra quod omnis intimatio vel illapsus positivus quo intelligeretur Deus esse in rebus per necessitatem esset aspectus situalis, et ita exigeret Deum esse in situ, et per consequens esse quid corporeum et quantum.

900 Secundo vero deficit in modo praesentiali¹⁴, quia /X 869b/ non aliter Deus cognoscit creaturas postquam factae sunt quam antequam fierent secundum Augustinum V *Super Genesim*, capitulo 7. Sed constat quod Deus non erat in rebus per praesentiam antequam fierent. Igitur Deum esse in rebus per praesentiam non est esse secundum cognitionem. Et confirmatur, quia potius deberet dici res esse in Deo per praesentiam quam e converso, ut statim arguebatur.

905 Tertio vero deficit in hoc quod dicit de modo infinitatis et illapsus. Talis enim infinitas /Vb 407va/ dicit causam, unde oritur quod Deus sit ubique aut esse possit, unde dicit rationem essendi in loco, non autem ipsum esse in loco actualiter. Illapsus vero videtur importare intimationem ad rem sive esse intime intra rem, quae sunt habitudines situales, ut supra dictum est. Et iterum illapsus intimus non videtur aliud quam praesentialitas, et per consequens modus quo Deus est in rebus per essentiam non bene distinguitur ab illo quo per praesentiam inexistit.

Opinio Durandi. Quapropter dixerunt alii quod isti modi distinguuntur secundum tria quae concurrunt ex parte Dei res actualiter causantis et conservantis; quae tria sunt substantia, virtus, et operatio. Actio namque creationis facit rem existere, conservatio vero existentiam rei
915 continuat, existentia autem rei exhibet rem Deo praesentem, et per consequens Deum rebus, quia non est praesens rebus nisi quatenus res sunt sibi praesentes. Et quia praesentialitas ista non solum est secundum cognitionem, immo secundum realem exhibitionem, ideo Deus dicitur per essentiam esse in rebus. Sed quia virtus et potentia non differunt ab essentia et operatio profluit a virtute, ideo est in rebus per potentiam et virtutem. Et sic distinguuntur isti modi secundum
920 operationem, essentiam, et virtutem.

Sed nec iste modus conveniens est, quia secundum hoc modus essendi per potentiam et virtutem ponit in numerum cum modo essendi per operationem, unde erunt quattuor modi. Primus quidem per operationem. Secundus vero per praesentialitatis exhibitionem. Tertius quoque per realem essentiae exhibitionem. Quartus vero per potentiam et virtutem. Ita enim
925 Deus est in rebus per operationem sicut per potentiam vel virtutem. Quare si distinguitur modus essendi per operationem ab illo qui est per virtutem, erunt quattuor modi, per operationem, per potentiam, per essentiam, per praesentiam. Non igitur distinguuntur isti modi secundum illa tria.

Opinio aliorum. Quapropter dixerunt alii quod Deus est ubique per potentiam ratione causalitatis, quia cuncta continuat et conservat. Est vero in rebus per praesentiam ratione simultatis, non quidem contactus qualis est inter duo corpora, nec etiam durativae coexistentiae, prout duo temporanea simul sunt in tempore quoad durationem, sed coexistentiae praesentialitatis, prout una essentia alteri praesentialiter coexistit. Et quia praesentialitas ista potest attendi vel penes extrinseca et accidentia, quando scilicet nullum medium cadit inter
935 aliqua, quin sibi sint praesentia quoad /X 870a/ accidentalitatem utriusque; vel potest attendi penes intrinseca et intimas essentias utriusque, quando scilicet nullum medium cadit inter intima

¹⁴ Bo; praesentia Vb

utriusque (Deus autem coexistit praesentialiter omni rei, non secundum extrinseca sibi, immo secundum essentiam, quia nullum accidens est in eo), idcirco additur tertius modus quod Deus est in rebus non solum per praesentiam, immo per essentiam, ut iste tertius modus specificet et determinet secundum.

Sed nec ista sufficiunt. Tum quia assumitur unum quod non est verum, videlicet inter Deum et essentias creaturae esse aliquam coexistentiam aut simultatem positivam, cum tamen ista exprimant habitudinem situalem, ut saepe dictum est. Tum quia declarando huiusmodi praesentiam dicitur quod est simultas et deinde declarando qualis sit haec simultas, excluditur simultas contactus et durationis et additur quod est simultas /Vb 407vb/ praesentiae. Et ita fit circulus, cum prius praesentia declarata fuerit per simultatem et deinde simultas declaretur per praesentialitatem, unde patet quod nulla praesentialitas aut coexistentia positiva potest intelligi nisi secundum simultatem durationis vel situs, sicut supra deducebatur. Tum quia simultatem et praesentialitatem istam exponit per carentiam medii, medium autem et extrema sunt unigena.

Constat autem quod medium non est nisi inter situata nec medium tollitur nisi a situatis.

Quid dicendum secundum veritatem, et primo quod haec tria per potentiam, praesentiam, essentiam, exprimunt perfecte unum modum essendi Deum esse ubique. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione. Prima quidem quod haec tria non exprimunt tres modos essendi Deum in rebus, sed perfecte declarant modum illum quod Deus est ubique. Illa namque propositio 'per' exprimit causalitatem, potest autem exprimere vel substratum quod dicitur esse ubique vel causam formalem qua scilicet substratum formaliter est ubique vel determinans illud formale ad substratum. Cum ergo dicitur Deus ubique per essentiam, non notatur aliquis modus essendi formaliter distinctus ab aliis, sed exprimitur quid sit illud in Deo quod subiicitur isti conditioni quae est esse ubique, et illud est essentia. Cum vero dicitur Deus ubique <per praesentiam, exprimitur quid sit formaliter Deum esse ubique, illud enim esse ubique>¹⁵ non est aliud quam quaedam praesentialitas, non quidem positiva sed potius privativa seu negativa, quia omnimoda indistantia ab omnibus rebus. Cum autem dicitur quod est ubique per potentiam non significatur quod Dei potentia sit ubique, <quasi alius modus sit iste a primo, cum essentia et potentia sint idem in Deo, nec aliter potentia sit ubique>¹⁶, nisi quia essentia est ubique. Nec etiam notatur formalitas essendi ubique, nam potentia non est formaliter esse ubique, ut patet. Exprimitur ergo aliquid determinans formale ad substratum, videlicet indistantiam ad essentiam. Per hoc enim quod apprehenditur virtuosa /X 870b/ operatio Dei attingere intima omnis rei, de necessitate apprehenditur essentia a qua profluit operatio ut indistans ab omnibus rebus. Et hoc est Deum esse ubique, per essentiam quidem subjective vel potius subtractive, per potentiam vero determinative et exigitive, sed per praesentiam formaliter et quidditative, per praesentiam semper intelligendo aliquid negativum, scilicet indistantiam. Et sic ubi inveniatur dictum Deum tripliciter esse in rebus, triplicitas ista referri non debet ad tres modos essendi formaliter distinctos, sed ad tria qui concurrunt circa unum modum essendi.

Est autem hic attendendum quod non solum potentia ut actuata per operationem concludit essentiam indistantem esse a rebus, immo universaliter operatio intellecta alicubi etiam in potentia concludit quod substantia operans sit indistans. Unde quia Deus non solum conservat intima creaturae, immo circa creaturam potest operari pro libito voluntatis, idcirco non solum operatio qua conservat est illud quo determinative apprehenditur Deus esse ubique, immo et operatio possibilis. Propter quod magis exprimitur quod Deus sit ubique per potentiam quam per operationem; licet potentia hoc non arguat, sed potius operatio poni possibilis vel posita iam in actu, ut sit sensus quod Deus est ubique per potentiam, hoc est per operationem actu a potentia profluentem aut effluere possibilem.

Quod superflua est inquisitio aliquorum quaerentium, scilicet Scoti et sequacium, an modus quo Deus est in rebus per essentiam et per praesentiam sit posterior et separabilis

¹⁵ Bo in marg.; om. Vb

¹⁶ Bo in marg.; om. Vb

ab eo quo est per potentiam. Secunda vero propositio est quod superfluit quorundam inquisitio quaerentium quis ex istis modis essendi alium praecedat vel subsequatur. /Vb 408ra/ Dixerunt enim quod modus quo Deus est ubique per potentiam prior est et separabilis quantum est ex se ab illo modo quo inexistit per essentiam et praesentialitatem, licet in Deo separari non possit propter suam infinitatem et illimitationem. Quod enim ille modus essendi praecedat istum apparet, quia omnis realis relatio exigit existentiam sui fundamenti. Sed respectus praesentialitatis secundum quem dicitur Deus per essentiam praesens omnibus creaturis est realis respectus fundatus in creatura et terminatus ad divinam essentiam. Igitur praesupponit existentiam creaturae, existentia autem creaturae exigit operationem divinam. Operatio vero facit Deum esse in rebus per potentiam, igitur praeintelligitur Deus in rebus per potentiam et subsequitur praesentialitas suae essentiae ad res omnes. Prius autem potest separari a posteriori quantum est ex se nec ipsum infert de necessitate, propter quod operatio non infert Deum per essentiam praesentem esse ubique.

Haec igitur inquisitio deficit, tum quia imaginatur praesentialitatem tamquam relationem realem, cum sit solummodo indistantia, tum quia imaginatur quod esse in rebus per potentiam formaliter importet /X 871a/ modum essendi exclusa praesentialitate, cum tamen si tollatur praesentialitas, nullo modo operatio sit esse in loco. Unde non facit aliter esse in loco, nisi quia exhibet indistantem virtutem et essentiam operantis. Superfluum ergo est inquirere quis modus essendi praecedat alium cum exclusa praesentialitate vel indistantia. Operatio non exprimat modum essendi, unde ordo est inter ista tamquam inter exigita ad idem. Praeintelligitur enim substratum et determinans ipsi formali et iterum terminus illius formalis, ut sic praeintelligatur essentia et operatio profluens ab ea et creatura in quam profluit operatio. Et ex hoc consurgat indistantia omnimoda essentiae ab omni creatura. Quae idem indistantia, etsi non sit relatio positiva, est tamen negatio relativa, secundum quod Augustinus V *De Trinitate* dicit quod negatio reducitur ad idem genus cum affirmatione, unde ingenitum dicitur relative sicut et genitum secundum ipsum. Sic igitur creatura et operatio per quam existit et Deum operari praecedat praesentialitatem vel indistantiam secundum quam Deus dicitur esse ubique; non quidem sicut modus essendi praecedat alium modum essendi, sed sicut praeexigita ad id quod est formale in isto modo essendi.

Quid secundum praedicta importat Dei immensitas, et illapsus, et continentia, secundum quae dicitur Deus implere omnia, illabi omnibus, et omnia continere. Tertia quoque propositio est quod immensitas qua Deus dicitur caelum et terram et universa implere, similiter et illapsus quo dicitur intimus omni creaturae et continentia qua dicitur omnia continere, ita quod omnia magis sunt in Deo quam Deus in omnibus, hoc utique quid importent ex superioribus colligi potest. Immensitas namque Dei non debet intelligi per modum magnitudinis distensivae, ut impleat omnia secundum longum, latum, et profundum, quia tales dimensiones spectant ad genus quantitatis a quo Deus simpliciter est abstractus; nec per modum magnitudinis intensivae eo modo quo albedo purior dicitur maior, quia talis magnitudo intensiva absque omni termino exprimitur per infinitatem quae non habet aspectum aliquem ad loca sicut immensitas. Unde aliud attributum est immensitas ab infinitate /Vb 408rb/ quae exprimit huiusmodi magnitudinem infinitam. Debet ergo intelligi immensitas in ordine ad locum et ad cuncta creata. Non habet autem aliquem ordinem positivum, quia nec praesens est locis praesentialitate propinquitatis aut simultatis sive coexistentiae, nec absens est absentia distantiae. Sed est omnino indistans et per consequens non absens. Vis igitur illa per quam impossibile est Deum absentari aut esse distantem ab aliquo loco, immo per oppositum vis qua necesse est Deum esse non absentem omnibus locis et indistantem vocatur immensitas includendo infra omnem locum non solum facta, immo factibilia etiam in infinitum. Et secundum hoc imaginari Deum immensum est ipsum apprehendere ut necessario non absentem /X 871b/ aut indistantem omni loco factibili vel facto. Et sic patet, cum illa vis, unde oritur haec necessitas, sit deitas ipsa, quod immensitas est id ipsum quod deitas cum certo connotato, quia in quantum connotat impossibilitatem absentiae aut distantiae ab omni loco possibili esse. Et per hoc dicitur omnia implere, vel quia non abest corporibus implentibus omnia, vel quia non abest etiam cunctis

locis. Et patet quod hoc est proprium solius Dei, sola namque deitas est circa quam potest talis negatio indistantiae seu non absentiae apprehendi.

Illapsus vel intimitas non importat aliquam habitudinem positivam respectu Dei sed potius non absentiam negative, ultra quam addit certum connotum, scilicet intima creaturae; ut sit
 1045 sensus, cum dicitur Deus intime illabi, quod est non absens aut indistans ab intimis creaturae. Et propter hoc consuetum est dici quod est aeque intimus Deus creaturae sicut res sibi ipsi, quia non est dare intimum in re quod non profluat ab essentia deitatis, et per consequens non potest esse absens aut distans ab aliquo intimo rei, sed est omnino non absens.

Continere vero dicitur omnia, et potius esse in eo esse omnia quam ipse in omnibus, pro eo
 1050 quod huiusmodi indistantia oritur ex indigentia creaturae. Operatio enim exigit non-absentiam virtutis vel indistantiam et non e converso, virtus scilicet non-absentiam operationis. Et propter hoc Deus potest esse cum non-absentia creaturae, creatura vero non potest esse cum absentia creatoris. Quia ergo locatum indiget loco et non e converso, ideo non-absentia aut indistantia creaturarum ad Deum, quae oritur ex indigentia, assimilatur illi non-absentiae quam habet
 1055 locatum in ordine ad locum et contenti per respectum ad continens; non-absentia vero Dei a creaturis assimilatur illi quam habet continens respectu contenti. Et secundum hoc creaturae sunt in Deo et continentur potius quam contineant, vel in ipsis sit Deus, quia non sunt absentes sibi aut indistantes propter sui indigentiam, sicut locatum indistans est a suo loco, quia indiget eo.

1060

Quod Deum esse in rationali creatura per gratiam reducit ad modum essendi per essentiam, praesentiam, et potentiam. Ille vero quo est per unionem in Christo ad modum essendi per essentiam, et praesentiam, sed non per potentiam. Quarta demum propositio est quod ille modus quo Deus est in rationali creatura per gratiam reducit ad praedictum modum
 1065 essendi. Licet enim operatio quaecumque exigit virtutis indistantiam et non absentiam, multo tamen amplius videtur illam exigere operatio potior et magis intensa. Et propter hoc motor ponitur in maximo circulo sphaerae caeli a Philosopho VIII *Physicorum*, quia licet motus existens in toto caelo /Vb 408va/ arguat motorem indistare et non abesse alicui parti caeli, nihilominus motus velocissimus circuli aequinoctialis qui est maximus omnium circulorum
 1070 descriptibilium in orbe concludit motorem specialius et singulariter illi circulo indistare. Sed manifestum /X 872a/ est quod licet Deus insit omnibus rebus communiter per operationem mantenentiae et conservationis in esse, nihilominus circa res aliquas vehementius operatur, ut circa creaturas racionales non solum operatur quantum ad esse et bene esse naturae sicut in omnibus rebus, immo quantum ad bene esse supernaturale, quia quantum ad dona gratiae quae
 1075 tribuit et conservat rationali creaturae. Ergo secundum hoc singulari modo videtur Deus a viris sanctis indistare et ita singulariter non abesse sed esse in eis, sicut motor singulariter est in maximo circulo sphaerae, quamvis communiter sit in qualibet parte eius.

Praeterea, Deus singulariter est in rebus in quibus apparet ipsius operatio singularis, ut ratione miraculorum dixerunt Magi Pharaonis, Exo. 8: 'Digitus Dei est hic'; et ratione victoriae
 1080 virtute divina consecutae dictum est Iudith 13: 'Aperite portas, quia nobiscum Deus'. Sed singularis operatio et ultra omnes operationes naturae est infusio gratiae et conservatio eius in mente. Ergo singulari modo dicitur Deus per gratiam esse in rationali mente.

Sic igitur patet quod non est specificiter alterius rationis modus essendi per gratiam a modo
 1085 essendi per essentiam, praesentiam, et potentiam, quamvis differat numeraliter vel ratione materiae, quia quod in omnibus rebus natura arguit, hoc in rationali creatura gratia singulariter facit. Unde posset dici quod Deus est in cunctis rebus creatis per collatam eis naturam, in sanctis vero per gratiam; et tunc appareret quod non est alius modus essendi, quamvis sint alia quae determinant et arguunt illum modum. Et haec est intentio Magistri in praesenti distinctione, capitulo 2, cum dicit quod quemadmodum anima in singulis partibus corporis essentialiter tota
 1090 sit, tamen in aliis intensius, in aliis remissius operatur, ita et Deus, cum sit in omnibus essentialiter, in illis tamen esse plenius dicitur in quibus ita est, ut faciat eos templum suum. Unde non oportet recurrere ad illud quod ab aliquibus dicebatur Deum esse per gratiam, per modum obiecti scilicet, sicut cognitum in cognoscente, aut amatum in amante. Et secundum hoc

1095 patet quod in parvulis nondum diligentibus aut cognoscentibus Deum dicitur esse Deus per gratiam. Patet etiam quare in eis dicitur habitare in quibus est per gratiam, et tamen non in omnibus rebus; hoc enim facit operatio singularis infusionis et conservationis gratiae, sicut et motor dicitur habitare in circulo caeli maiori. Posset tamen dici, sicut supra dictum est, dum ageretur de temporali processione spiritus sancti, quod Deus habitat obiective sicut amans in amato per gratiam in anima sancta et in illam procedit. Sed tamen iste modus inexistenti est intentionalis, nec includit indistantiam et non absentiam de qua sermo est in praesenti.

1100 Ulterius vero sciendum quod Deus singulariter est in homine Christo per essentiam et indistantiam vel non-absentiam, quam quidem exigit non operatio sicut in omnibus aliis sed hypostatica unio, quemadmodum anima dicitur esse in corpore, quia effectus formalis qui /X 872b/ est perficere et animare corpus exigit essentiam animae non abesse et indistantem esse. 1105 Non tamen propter hoc esse propinquam aut contingentem corpus aut intra corpus esse secundum aliquam habitudinem positivam. Et consimiliter hypostatice sustentare humanitatem /Vb 408vb/ exigit Verbi indistantiam singularem, et per consequens deitatis totius, sicut magis apparebit in tertio libro. In hoc igitur tertius articulus terminetur.

1110

Responsio ad obiecta.

Ad ea ergo quae in oppositum inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod reciprocatio non est in loco et locato quantum ad habitudinem continentiae. Unde si vinum continetur ab amphora, impossibile est quod amphora contineatur a vino, alioquin amphora contineretur ab amphora, sed quantum ad habitudinem praesentiae et contactus reciprocatio sit. Locus enim contingit locatum et e converso, et similiter quoad non-distantiam vel non-absentiam. Unde est inconveniens quod Deus sit in rebus et e converso. Apostolus autem dicit quod in illo vivimus et movemur; et Beda quod Angelus currit intra Deum, pro eo quod indistantia Dei a rebus assimilatur indistantiae continentis. Est enim propter indigentiam rerum, non propter indigentiam Dei, sicut contentum indiget continente et non e converso.

Ad secundum dicendum quod Deus dicitur super omnia esse, non quidem situative sed entitative. Dicitur etiam quod est nusquam propter carentiam omnis situs et simultatis cum rebus. Sed hoc non impedit quin sit ubique per non-absentiam et omnimodam indistantiam.

Ad tertium dicendum quod Deus a loco et a tempore abstrahit. Sed sic abstrahit esse divinum a tempore quod de necessitate connotat ipsum, quia non potest intelligi aliquis actus vel primus vel secundus, quin cointelligatur duratio vel per modum mensurae vel per modum alicuius quod subditur. Et propter esse immediate connotat tempus; non est autem sic de loco, non enim connotatur ut indistans vel non absens ab esse divino ex hoc quod locus est, sed quia productus est et a Deo dependens. Posset etiam dici quod aeternitas connotat tempus non ut coexistens aut sub habitu simultatis, sed negative ut indistans secundum lineam non sitalem quidem, sed secundum lineam successivam prioris et posterioris.

Ad quartum dicendum quod Anselmus intelligit quod in nullo loco est Deus situative aut coexistendo secundum aliquam habitudinem positivam sed tantummodo per non-absentiam et non distando, et per idem patet ad quintum.

1135 Ad sextum dicendum quod 'ubi' quaerit de situ et de habitudinibus fundatis super situm, cuiusmodi sunt sursum et deorsum, prope, longe, et simul; et ista pertinent ad praedicamentum distinctum. Quaerit etiam de non-absentia vel indistantia quae est negatio relativa locati ad locum. Et ideo non est inconveniens quod tale 'ubi' habeat locum in Deo.

Ad septimum dicendum quod Deus abstrahit /X 873a/ ab omni habitu positiva ad locum, sicut unitas vel nunc, non autem a negatione relativa quae est non-absentia. Nulla enim operatio profluit ab unitate vel nunc quae arguat illa alicubi esse. Forsitan tamen nunc ubique est, sicut Philosophus dicit de tempore IV *Physicorum* quod est in caelo et in terra, non quidem per aliquam habitudinem positivam, sed per non-absentiam et indistantiam sui ad omnia quae mensurat. Non tamen ita ubique est sicut Deus, quia non omnia creata a Deo tempore 1145 mensurantur.

Ad octavum dicendum quod nulla mutatio fit in Deo, dum de absente fit non absens per creationem alicuius rei de novo. Non enim erat absens per aliquid positivum, sed quia creatura non erat. Et ideo, dum creatura fit, non excluditur **/Vb 409ra/** aliquid a Deo per hoc quod non abest de **/X 873b/** novo creaturae, sed ponitur creatura cui non absit.

1150 Ad nonum dicendum quod Deus non est in rebus in quantum causa, sic quod suum causare sit formaliter existere in loco. Sed est quoddam exigens indistantiam essentiae causative et per consequens non-absentiam Dei. In qua non-absentia formaliter consistit ratio essendi in loco quae competit Deo, quamvis sit efficiens et extrinseca causa. Et per idem patet ad ultimum.

1155 Quamvis autem Magister de loco et motu spiritus creati faciat mentionem in distinctione praesenti et similiter de anima rationali, quomodo sit tota in qualibet parte corporis, quod forte verum non est de animabus brutorum, tamen de his supersedendum est usque ad librum secundum, ubi tractatur directe de creaturis.